

nare possit successorem, sed decernere, hoc est deliberare, et tractare de ipso, quod papæ non est prohibitum, non tamen eligere determinate. Ad id vero quod ultimo objicitur, quod papa potest determinare et mutare modum eligendi successorem, unus autem modus est ut ipse illum designet, respondetur posse mutare modum et formam electionis juxta suam tamen potestatem, et juxta subjectam materiam, scilicet præbendo regulam Ecclesiæ, et quasi regulando, et dirigendo electionem, non tamen ab Ecclesia eam extrahendo, et sibi arrogando. Sicut potest episcoporum jurisdictionem restringere, aut extendere, non tamen sibi assumere episcopatus particulares, ita ut sit proximus pastor aliarum Ecclesiarum, unde non omnem modum designandi pontificem mutare, aut determinare potest, sed modum qui conveniat Ecclesiæ, ita ut Ecclesia eligat, sive hoc modo, sive illo.

IX. Dico secundo: Potestas collativa pontificatus non est in Ecclesia, sed ad solum Christum pertinet; Ecclesia vero solum designat, et determinat personam, et hoc loco loquendo de potestate pontificatus, nam de potestate quam habet papa, ut episcopus Romanus est, et illius peculiaris diœcesis, sic habet illam eo modo quo cæteri episcopi, scilicet quoad potestatem ordinis per consecrationem: quoad potestatem jurisdictionis ab ipso Christo Domino mediante potestate papali, sicut alii episcopi, sicut eam haberet si de facto separaretur pontificatus ab episcopatu, licet quia est eadem persona habens nunc utramque dignitatem, non est ibi distincta collatio episcopatus a pontificatu: quasi papa per aliquem actum sibi conferat potestatem illius determinati episcopatus, sed est distincta dependentia, quia episcopatus non est

immediata a Christo, sed mediante potestate papali, et ita papa se ipso quodammodo est major ut dixit Cajetanus secunda secundæ, quæstione prima, articulo decimo. Et sicut persona papæ subjicitur officio, et definitionibus papæ, sic episcopatus ejus subjicitur pontificatui, non quasi pontifex faciat collationem episcopatus sibi ipsi, sed quod ex subjectione ad potestatem papalem illum habet.

X. Igitur conclusio quoad illam partem quod pontificatus immediate conferatur a Christo Domino, et communis sententia theologorum de qua videantur cardinalis Turrecremata libro II de Ecclesia, cap. XLIV, et Cajetanus in tractatu primo de auctoritate papæ, capite XIII, et tractatu II, capite XXII; Bellarminus libro II de Romano pontifice, capite XVII, et Suarez ubi supra sectione IV, num. III; Azorius, et alii supra citati. Itaque sicut homo generat hominem, non quia facit formam, sed quia disponit, et quasi designat materiam ad hanc formam, Deus vero formam infundit, sic in moralibus electores, seu Ecclesia per illos quasi disponit et designat personam pro summo pontificatu, Deus vero illam dignitatem confert. Ratio præcipua fundatur in his quæ supra dicta sunt, quia potestas collativa alicujus officii, aut beneficii debet esse superior, aut æqualis illi potestati, quam confert, potestas autem Ecclesiæ semper est inferior ad potestatem papæ; ergo non potest illam ei conferre, sed solum designare. Quod explicatur amplius, quia potestas papæ gubernativa Ecclesiæ non derivatur ab Ecclesia, sicut potestas regia derivatur a republica, sed est potestas, quæ fungitur vice Christi; ergo ab ipso Christo debet derivari, et committi ipsi, non vero ab Ecclesia conferri: omnis enim potestas commissionis, et vices al-

terius repræsentans, etsi possit designari persona ab alio, non tamen derivari potestas et conferri nisi ab eo cujus gerit vices, et cujus commissionem, et quasi legationem habet, et ideo potestas pontificis est potestas apostolica, quia est quasi delegata a Christo Domino, non vero orta ab Ecclesia, et sic conferri debet a Christo sicut omnis apostolatus a Christo fuit datus, ut supra vidimus. Quomodo autem, et in cujus virtute conferatur etiam nunc a Christo Domino cuicumque personæ de novo designatæ in pontificem, dicemus solutione ad secundum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XI. Circa primam difficultatem oritur dubitatio ex duobus. Primo, quia a Christo Domino non est derivata duplex distincta potestas, altera ipsius pontificatus ad Petrum, et ejus successores; altera ad ipsam Ecclesiam, vel aliqua membra ejus secluso papa, nam de hac secunda potestate non constat, neque ex sacris litteris, neque ex traditione Ecclesiæ, et si talis potestas esset determinata a Christo Domino de jure divino, competeret aliquibus puta episcopis, vel aliis; constat autem non convenire, ut tractabitur in secunda et tertia difficultate, quia si non posset mutari ab Ecclesia nec diversis personis committi, ergo de jure divino non datur talis potestas. Si autem dicatur non esse distinctam potestatem derivatam a Christo, unam ad eligendum, aliam quæ esset ipse pontificatus, tunc sequitur quod ipse pontifex haberet potestatem designandi sibi successorem, quod non est admittendum, et per oppositum etiam sequitur quod si pontifex nihil determinaret de modo eligendi successorem, et

de personis quæ ipsum eligerent, remaneret Ecclesia sine potestate eligendi pontificem, quod est magnum absurdum; ergo talis potestas independentem a pontifice ponenda est in Ecclesia.

XII. Respondetur collatam esse a Christo Domino Ecclesiæ potestatem eligendi papam designando ipsum quasi virtualiter et implicite, non autem quasi explicitè et formaliter id exprimendo. Quod enim collata fuerit illi potestas constat ex ipsa Ecclesiæ traditione a temporibus Apostolorum, semper enim Ecclesia usa est hujusmodi potestate eligendo pontificem; ergo semper sentit hanc potestatem habere in se ad eligendum, sive illa data sit immediate a Christo Domino ipsi Ecclesiæ, sive mediante potestate data Petro, in qua virtualiter continebatur potestas collata Ecclesiæ ad providendum sibi de pastore, supposito quod successio pontificum, non per carnalem propagationem, vel generationem sicut in lege veteri, sed per electionem est, instituebatur a Christo Domino, hoc enim quasi connaturaliter sequitur ad talem institutionem: sicut sigillum confessionis non invenitur expresse, et specialiter determinatum a Christo, et tamen de jure divino est, quia sequitur connaturaliter ad institutionem fori sacramentalis, quod est super omne forum humanum, sive ergo mediate et virtualiter, sive immediate et formaliter ex ipsa traditione, et usu seu exercitio Ecclesiæ a temporibus Apostolorum constat hanc potestatem eligendi commissam esse Ecclesiæ. Et quando dicitur, an fuerit commissa episcopis, vel aliis de jure divino, dico determinatam hanc applicationem non esse factam a Christo, quia hæc potestas eligendi ita commissa est Ecclesiæ quod esset dependens, et regulabilis, seu dirigibilis a potestate

papæ quæ superior est, ut vidimus. Unde ad potestatem papæ pertinebat determinare istam applicationem, et posse illam mutare, aut variare, et sic non debebat de jure divino esse affixa determinatis personis. Et ratio est, quia hæc potestas data est in ædificationem Ecclesiæ, et ordinatur ad ejus utilitatem: unde cum potestas papæ respiciat universalem utilitatem Ecclesiæ, quam ipse debet dirigere, oportet ut ei subjecta sit hæc potestas electiva, quæ est in Ecclesia, ut illam regulare aut variare possit, juxta quod viderit utilitati, aut necessitati Ecclesiæ expedire, semper enim potestas quæ respicit universalior finem, habet subjectam potestatem minus universalem, ut illam dirigat, et cum potestas papæ respiciat universalissimum finem, id est, omnem utilitatem, aut necessitatem universalis Ecclesiæ, debet dirigere potestatem electivam quæ pro utilitate, aut necessitate Ecclesiæ data est, unde ad ipsum pertinet applicare illam istis vel illis personis, sicut viderit expedire, licet de jure divino sit quod illa sit in Ecclesia, multa enim quæ de jure divino sunt in communi determinantur, et applicantur in speciali per potestatem papæ et Ecclesiæ.

XIII. Secundo, oritur dubitatio ex eo quod ista potestas eligendi pontificem est potestas collativa pontificatus, si quidem ipse electus non confirmatur ab aliquo, nec enim habet superiorem, sed ex vi ipsius electionis habet in facto supremam auctoritatem apostolatus, sed non potest dari in Ecclesia secluso papa potestas collativa pontificatus; ergo neque electiva. Minor probatur, nam potestas collativa pontificatus debet esse superior, et ad minus æqualis cum ipso pontificato, nam ista potestas eligendi, vel est potestas jurisdictionis, vel ad illam redu-

citur, ut probat pater Suarez tomo v de censuris, disputatione XL, sect. II, num. XVII, quod est consequentia hæreticorum, papam non esse super Ecclesiam, quia Ecclesia eligit papam. Ita Bellarminus libro II de Romano pontifice, cap. XVII, in tertia sententia. Hæc autem non datur in Ecclesia secluso pontificatu, cum Ecclesia sine capite non habeat potestatem capitis, sed corporis; ergo. Quod si dicas pontificem designatum legitime ab Ecclesia ab ipso Christo Domino immediate recipere potestatem pontificiam contra est, nam de hac collatione facta a Christo non constat Ecclesiæ cum neque Christus id revelet, neque sensibili aliquo signo declaret, nec sufficit illa prima collatio facta Petro, virtute cujus fit modo collatio cuicumque legitime designato ab Ecclesia, nam illa prima collatio non potest modo operari, nisi acceptetur designatio ab ipso conferente, de hac autem acceptatione nobis non constat, ergo neque de collatione facta: imo non apparet, quomodo illa collatio quæ facta est Petro in integrum censeatur manere, et transire ad successores, nec enim assignari potest virtute cujus transeat.

XIV. Confirmatur primo, nam quando collatio beneficii pertinet ad distinctam personam, quæ designatur, persona conferens potest cognoscere de idoneitate personæ electæ, et supposita illa confert beneficium; ergo si electus in papam non fuerit dignus, Christus non conferet illi dignitatem pontificiam, unde cum nunquam constet nobis certo de dignitate electi, nunquam etiam constabit de collatione dignitatis pontificiæ a Christo Domino.

XV. Confirmatur secundo, nam dignitas pontificia essentialiter est episcopatus, et potestas ordinis; ergo imprimis characterem, qui est aliquid reale, et per realem actio-

nem a Deo impressus, sed ista realis actio non fit de novo a Christo Domino, ita ut nobis constet per aliquod sacramentum, seu signum sensibile, sicut fit in susceptione ordinum, neque fieri potest in vi primæ collationis factæ Petro, quia virtus illius non manet in aliquo subjecto, ut transeat ad successorem; ergo nullo modo videtur fieri hanc electionem per potestatem collatum ipsi Ecclesiæ.

XVI. Ad argumentum a principio positum bene ibi responsum est ut constat ex secunda conclusione, et sic salvari debet, quod potestas Ecclesiæ ex eo quod possit eligere papam, non est supra papam, ut aliqui hæretici voluerunt inferre, ut refert et refutat Bellarminus jam citatus libro II de Romano pontifice, cap. XVII, in tertia sententia. Nec solum illam consequentiam solvimus exemplo Bellarmini, quod imperator creatur ab electoribus, et tamen est supra illos et populus creat regem, et tamen est super populum, nam rex licet sit super populum, tamen ejus potestas a populo originatur, licet ei non subjiciatur, potestas autem pontificis, nec subjicitur, nec originatur ab Ecclesia; sed ex eo solvitur, quia Ecclesia non eligit conferendo potestatem papæ, sed solum designando personam, ut ei a Christo Domino conferatur potestas, et sic non est supra illum. Ad replicam autem argumenti respondeatur, quod de collatione pontificatus facta huic qui de novo eligitur non constat per aliquam revelationem factam de hac persona, constat tamen ex prima illa institutione pontificatus, et collatione illius a Christo Domino ipsi Petro, et successoribus, ut notat pater Suarez disputatione citata, sectione quarta, nam hoc ipso quod legitime eligitur et designatur ad succedendum Petro, ex vi illius primæ collationis ei debita

est potestas illa, quæ Petro data est, ut remaneret in successoribus, nec indiget nova alia collatione, sed sola Ecclesiæ designatione, et electione: sicuti in lege veteri ex vi primæ concessionis pontificatus, quæ data est Aaron, quicumque succedebat Aaroni potestatem pontificatus obtinebat, sine hoc quod Deus cuilibet successori de novo concederet pontificatum.

XVII. Et quando instatur requiri acceptationem illius designationis ab Ecclesia factæ, de qua acceptatione nobis non constat, respondeatur acceptari a Deo omnem pontificem rite electum ex vi illius primæ voluntatis, qua voluit potestatem universalem pascendi oves suas committi Petro, et legitimis ejus successoribus, sicut omnes legitimi successores Aaron acceptabantur in pontifices ex vi primæ illius voluntatis, et pacti quo voluit sacerdotium permanere in Aaron per carnalem successionem, unde quod omnis rite, et legitime electus in successorem Petri acceptetur a Deo, constat ex ipso pacto Dei, et voluntate qua Petro et illi successoribus ejus hanc potestatem tradidit. Quod vero hic in particulari sit legitime electus, illique applicetur illa acceptatio, et collatio Christi Domini constat ex Ecclesiæ acceptatione, qua justum in particulari acceptat tamquam pontificem indubitatum, et legitime electum, nam si esset dubium rationabile de ejus electione legitima, adhuc non reputaretur ut pontifex, quousque id Ecclesia determinaret (ut dicemus sequenti articulo) sicque etiam non constaret hunc esse acceptatum a Christo, et ei collatam potestatem pontificiam, et licet in re forsitan esset pontifex, tamen in ordine ad nos, et ad gubernationem Ecclesiæ non se haberet ut pontifex quousque id determinaretur. Et denique quando in-

quiritur quomodo illa collatio, quæ facta est Petro transeat ad successores et cujus virtute transeat, respondetur transire, quatenus manet in acceptione Dei, qui illam potestatem dedit Petro, et successoribus, et virtute talis voluntatis, et acceptionis prout comprehendit omnes successores transit nunc ad omnes, nec indiget virtute aliqua manente in aliquo subjecto per quam transeat, et conferatur pontifici electo; nec enim potestas ista per aliquam instrumentalem actionem conferatur, sicut effectus sacramentales, sed ex vi pacti, seu promissionis divinæ, aut traditionis, qua tradidit hanc potestatem Petro et successoribus.

XVIII. Ad primam confirmationem respondetur, aliquos hæreticos ita sensisse quod non est verus papa quantumvis electus nisi sit vir probus, eo quod Christus Dominus, ut pontificatum Petro daret ter interrogavit illum, an se diligeret; imo et alii dixerunt non fore verum papam, nisi sit prædestinatus, quæ hæresis damnata est in Concilio Constantiensi. Respondetur ergo, quod in collatione potestatis pontificalis Christus Dominus non operatur secundum merita dignitatis subjecti, quia non se habet, ut distributor talis beneficii, aut potestatis; qui enim procedit secundum actum distributionis justitiæ debet attendere ad merita, et dignitatem subjecti, et juxta illa debet conferre, vel non conferre beneficium, sed se habet, ut institutor illius potestatis, qui per legem suam determinavit, quod valide conferatur illa potestas cuicumque legitime electo in successorem Petri: aliud autem est attendere validitatem actus, aliud distributionem justitiæ, quod enim aliquis actus validus sit, vel aliqua potestas valide collata non pendet ex dignitate, vel indignitate subjecti

quasi morali, sicut patet in impressione characteris, et in actibus characteris, qui valide fieri possunt, quamvis subjectum sit indignissimum; sed sufficit quod subjectum sit capax talium actuum, vel collationis. Sic ergo ut collatio pontificiæ dignitatis sit valida Christus Dominus non attendit ad aliquam dignitatem subjecti, sed ad hoc præcise quod persona sit capax, et legitime electa, sicut hoc ipso quod quis accedit ad sacramentum recipit characterem, quantumcumque indigne accedat, sic enim expediebat ad conveniens regimen Ecclesiæ, alioquin essent omnia confusa, et perturbata, si ad hoc ut esset valida collatio characteris, vel potestatis pontificiæ requireretur moralis dignitas in subjecto. At vero qui confert beneficium tamquam distributor, et ut exercens actum justitiæ distributiæ, et non præcise ut attendens validitatem actus, debet conferre juxta merita subjecti, et consequenter supponere dignitatem moralem in illo sicut etiam Christus Dominus in conferendis præmiis, aut pœnis, quia se habet ut distributor justitiæ qui dat unicuique juxta opera ejus. In præsentem autem non loquimur de hujusmodi collatione, sed de illa quæ præcise requiritur, ut aliquis valide et legitime sit papa.

XIX. Ad secundam confirmationem respondetur, aliud esse id quod includit potestas pontificia absolute, aliud est id quod addit supra potestatem episcopatus, absolute enim potestas papæ includit potestatem episcopalem, et consequenter potestatem ordinis episcopalis, quæ in characterem consistit, supra hanc autem potestatem episcopalem non addit aliam potestatem ordinis majorem, aut perfectiorem, aut alium characterem, sed solum ampliorem potestatem jurisdictionis, sicut esse

archiepiscopum, aut primatem, non addit majorem potestatem ordinis, aut characterem distinctum a characterem episcopali, sed solum majorem jurisdictionem. Ita Azorius ubi supra capite quinto, quæstione prima, et S. Thomas in additionibus, quæstione quadragesima, articulo sexto ad tertium, ubi ostendit quod omnes episcopi in potestate ordinis sunt æquales, et propter hoc quilibet episcopus potest consecrare alium episcopum, et si electus in papam non est episcopus, consecratur ab Ostiensi. Quare supra episcopalem characterem non imprimitur papæ novus character pro dignitate pontificali, sed extenditur, et ampliatur jurisdictio in qua superat omnes episcopos, et ad hoc non requiritur quod talis jurisdictio per actionem physicam imprimatur, sed per acceptionem, et collationem Christi Domini in virtute illius primæ voluntatis, qua illam dedit Petro, et omnibus successoribus, censetur illi conferri.

XX. Quod si inquiras si eligatur in papam ille qui non est ordinatus in presbyterum, vel consecratus in episcopum, quomodo recipit potestatem a Christo, cum non habeat potestatem ordinis, sine qua non potest dari potestas jurisdictionis, sicut qui non habet ordinem sacerdotii, non potest habere jurisdictionem ad absolvendum; ergo saltem quando eligitur in papam non ordinatus, non recipit a Christo immediate jurisdictionem, et consequenter neque potestatem pontificalem, respondetur quod quando eligitur in papam ille qui non est ordinatus recipit a Christo potestatem jurisdictionis quasi gubernativam Ecclesiæ, non autem jurisdictionem quasi sacramentalem, et quæ fundatur in potestate ordinis, et requiritur ad conficienda sacramenta. Unde S. Thomas in additionibus,

quæst. XIX, artic. III, distinguit duplicem clavem, una quæ immediate se extendit ad ipsum cœlum, quia potest remove impedimenta introitus ejus, et hæc est clavis ordinis, et solis sacerdotibus competit: alia est quæ non immediate se extendit ad ipsum cœlum, et ad tollendam culpam, sed ad ea quæ pertinent ad consortium Ecclesiæ militantis, per quam aliquis ad cœlum vadit, et hæc dicitur clavis jurisdictionis in foro causarum. Et hanc secundam clavem, seu jurisdictionem etiam non sacerdotes habere possunt, ut patet, quia possunt excommunicare, et ligare, et hanc potestatem tamquam ordinariam habent electi in episcopos, etiam antequam consecrentur, et ex commissione legati, etiamsi sacerdotes non sint, ut ibidem dicit D. Thomas et quæst. XXVI, artic. II, et hanc etiam recipit electus in papam cum omni plenitudine etiam antequam consecratur, ut determinatur capite In nomine, XXIII distinctione. Potestatem autem clavis ordinis, et quæ ordinatur ad sacramenta conficienda recipit per sacramentum ordinis, vel consecrationem episcopalem.

IN QUIBUS RESIDEAT HÆC POTESTAS AD SECUNDUM SE SIVE DE JURE ECCLESIASTICO, SIVE DE JURE DIVINO.

XXI. Ex dictis facile solvitur secunda difficultas proposita ab initio articuli, scilicet quibus personis competat potestas electiva papæ in Ecclesia, sive de jure humano, sive de jure divino. Dicendum est enim hanc potestatem electivam esse quidem de jure divino, non tamen de facto esse affixam, aut applicatam ex ipso jure divino ad certas personas, aut dignitates in Ecclesia, sed posse id ab Ecclesia, et a pontifice